ditissimus – et ab archiepiscopo Coloniensi coronatus est,
et pro magna parte Alamannie regnum obtinuit. //
Eodem anno pars Eçelini partem ecclesie eiecit de Brixia,
tamen Eçelinum intra civitatem recipere noluit. // Eodem
tempore Eçelinus generum suum cum filiis in carcere
fame et aliis cruciatibus extinxit, sicut precedenti anno
Eçelinum de Ogna filium sororis sue vinculavit et
Çiramontem fratrem eius tormentis et fame peremit. //
Habitis post hec multis consiliis, legatus cepit predicare
crucem, et multi crucem devote susceperunt. // Tunc
Eçelinus Mantuam obsedit, eique in auxilium venit
Pelavisinus, callidus et astutus, cum Cremonensibus,
Placentinis et aliis. Mantue vero succursum dabant
solummodo Ferrarienses et Bononienses. // Interim
autem legatus omnes expulsos de civitatibus marchie
et omnes cruce signatos apud Turrem Baybe in districtu
Venetorum congregavit, et habita copia balistariorum
et virorum pugnatorum ac victualium a duce et communi
Venetiarum, versus Paduam iter arripuit. Ansisius autem
potestas Padue pro Eçelino plebem Sacci venit, ubi [x f. 151.]
autem adventum audaciam compertus est, et quod
Bunolentam et adiacentes partes occupassent, trepidus
cum apparatu Paduam fugit. Ḡuo audito, versus Paduam
properat exercitus Domini sequens victoriale crucis
signum et de celo sperans auxilium, et ad Pontem
corvum usque pervenit. Cumque dubium ibidem
gereretur bellum, aquam fluminis tamquam audaces
transvadando ad burgum perveniunt, contemp[nendo] ~~pendo~~ mortis
pericula. Deinde cum gato ignem supponunt porte
Altinat'. Balistarii quoque astantes supra muros
spicula dirigebant; sicque per scalas muros ascenderunt.
Potestas autem victoribus cedens fugit. Tunc Eçelinus,
recepto nuncio, cum furia Veronam redit et capi fecit
circa [XII] ~~IV~~ milia Paduanorum et compedibus alligari.
Qui omnes fame et variis afflicti tormentis perierunt. //
Eçelinus autem in semet ipso furens, exercitum unde-
ciunque ~~con~~vocat et post mensem Paduam pergit. Illi
autem Venetorum auxilium petunt et recipiunt. Pa-
triarcha quoque Aquilegiensis, Mantuani et Ferrarienses
eisdem succurrunt. Fecit proinde desiderium impii Eçelini
et vacuus redit. // [MCCLVIIo.] ~~A. 1257~~ Hic Alexander canonizavit
beatam Claram.